

de triangulis omnibus uti principia supposuerunt, a nobis sunt demonstrata. Ex his autem demonstratis illa quoque sequuntur, ut in quoque triangulo, minus latus minori angulo opponatur. Et minori lateri, minor angulus. Et per consequens maior angulus, maiori lateri opponetur; et est converso, maius latus, angulo maiori. Quæ duæ fuerunt Euclidis xviii et xix. Ex quo necessario sequitur, si quod latus, maiore minus, minore maius fuerit, etiam angulo, minore maioris, et maiore minoris opponetur. Et est converso, medius hic angulus medio opponetur lateri. Unde, illud quoque consequitur, quod omnis triangulus, et angulos lateribus oppositos. Et latera angulis opposita sibi invicem correspondeant, et sint proportionata.

Hæc quidem, novæ nostræ Geometriæ elementa sunt primaria. Si vero ætas, Dei Opt. Max. beneficio nobis suppetat, reliqua, de triangulis, quæ desunt, et figuratum aliarum rectilinearum, quæ ex triangulis omnes componuntur, usque ad decennarium, persequemur. Si vero non suppetat, hanc a nobis primis, Regiam in Geometriam methodum, acutiores posterius secuti, haud, ni fallimur, difficulter, adimplere, poterunt. Et universam curvilinearum figurarum tractationem atque scientiam ad finem poterunt perducere. A nobis, quod in magnis infortuniis, præstare potuimus, æquo animo suscipiant.

*Finis Tertii Libri Pancosmiæ.*